

NOTÆ.

RHESUS.

V. 23. ὀπλίζου χέρα, συμμάχων—] Vulgo, ὀπλίζου χέρα σύμμαχον. Correxit Hermannus in Opusc. vol. III. p. 301.

V. 224—263. Hoc carmen et versibus non recte descriptis deformatum ferebatur et scriptura multis modis partim ab librariis corrupta partim ab correctoribus metricis interpolata. Quæ omnia pristinae integritati ita licuit restituere ut nihil dubitationis relictum videatur, nisi quis verba ᾠ (ᾗ typheta Aldinus: codices omnes ᾠ) δία κεφαλὰ in vitii suspicionem adducere velit, quæ multis tragici lectoribus offensionem fuisse credo. Qua enim poetæ epici usi sunt prosodia δία, eandem tragicos esse secutos communis opinio est, nescio quo auctore tradita. Nam Herodianus ubi de mensura hujus vocabuli agit ita loquitur ut solum epicorum usum spectasse, de Atticis non quæsisse videatur, nisi Arcadii epitome fallat p. 194, 28. σεσημείωται τὸ μία καὶ τὸ δία γυναικῶν, et qui Draconis nomen mentitus Herodiani scripta compilavit p. 79, 17. τὰ εἰς ος λήγοντα ὁπότε ἔχει θηλυκὸν εἰς α λήγον, πάντως ἔχει ἐκτεταμένον τὸ α—. σημειώτεον ἄρα κατὰ χρόνον τὸ δία γυναικῶν: poetarum autem Atticorum exempla pleraque ad cognoscendam alterius syllabæ mensuram nihil conferunt, ut Æschyli in Supplic. v. 5. Νείλον. δίαν δὲ λιποῦσαι, præter duos locos, qui tantum abest ut vulgarem confirment opinionem, ut planissime evertant. Eorum alter hic Rhesi versus est, quem ne quis propter usitatam istam in familiari sermone compellationem κεφαλῇ suspectet, poeta satis cavet eo quod infra dixit v. 902. ᾠ φίλια φίλια κεφαλὰ, exempla secutus Homericæ. Alter locus in Iphigenia Taurica est v. 403. ita in libris scriptus

ἔβασαν ἔβασαν ἄμικτον αἶαν, ἔνθα κούρα
διατέγγει
βωμοὺς καὶ περικλίνας
ναῶν αἶμα βρότειον.